

matum 23. Jan. 1638. const. incip. Exponi Nobis la 240. tom. 5. Bullarii.

38 Non debet ad quamcumque sanctam imaginem imperdiri concursus: Sac. Congr. Episcop. & Regul. in *Taurinensi* 30. Julii 1620. Modo non publicentur miracula prius non approbata: Ead. Sac. Congr. Episcop. & Regul. in *Feretrana* 15. Sept. 1603. & in *Trevicana* 22. Decembris 1621.

40 Si imagines publicentur miraculose absque interventu Ordinarum, ipse debet eas claudere, informationes capere, Romamque transmittere: Ead. Sac. Congr. Episcop. & Regul. in *Mutinesi* 6. Octob. 1617. Administratio oblationum imagini factarum intrus aliquam parochiam, etiam Regularium ecclesienti, spectat ad Ordinarium, qui eas erogabit in ecclesia inibi edificanda, & in alios plus usus: Ead. Sac. Congr. Episcop. & Regul. in *Perusina* 20. Sept. 1605.

42 Urbanus VIII. comburi jussit imaginem cum tribus buccis, tribus nasibus, & quatuor oculis, & aliis, si quae inventur similes; hae enim nova inventio representandi Sanctissimam Trinitatem tolerabilis non videtur: In *Mediolanensi* 11. Aug. 1628. apud Nicol. in *Florentis* verb. Imago n. 6. Translatio imaginis non miraculose private est faciendi: Sac. Congr. Episcop. & Regul. in *Perusina* 17. Nov. 1617.

44 Imago Beati Petri pingitur cum radiis tantum, Canonizati vero cum diademate circa caput, ut inter eos appareat differentia: sic ex aliis *Pignatelli*. tom. 1. consulti. 25. num. 1.

45 In altari, in quo exponitur SS. Sacramentum pro oratione 40. horarum, cooperiendae est quaecumque imago, aut statua ibi existens; sicuti etiam parietes tribune altari viciniae, si non habeant ornamenta fixa, tegi debent pannis: ad apparatus nullum continere debet historiam, aut rem profanam. Super altare non sunt ponenda Sanctorum reliquiae, aut eorumdem statuae, exceptis tamen statuis Angelorum figurarum, seu vicem candelaborum facientibus. Multominus ponenda sunt figurae Animarum purgatorum quocumque materia factae; & hoc prohibetur etiam in omnibus expositionibus particularibus, & etiam in illis, quae aliquando fiunt pro suffragio dictarum Animarum: sic Clemen. XI. & XII. in *instructione observanda pro oratione continua* 40. horarum cum expositione SS. Sacramenti §. 2. allata sub verb. Eucharistia in fine.

46 An imago, & statua Beatae M. Virginis, ac aliorum Sanctorum deferri possint in processionebus cum Baldachino, & intorticiis? Vide verb. Processiones n. 37. & 38. Hic juvat afferre brevit. historiam miraculosissimae Imaginis B. M. in altari majori ecclesiae nostri Aracelitani Urbis conventus magnificentissime, & religiosissime asservatae: haec enim prodigiosissima Mariae Virginis Imago sublevantis, & Filii sui D. N. J. C. mortem plangentis speciem praeferebat fuit à S. Luca Evangelista depicta, ut ex multis tradunt annales Minorum Wadingi novissime Romae reimpresi tom. 3. fol. 258. n. 46. & 47.

47 Et eadem est, quam S. Gregorius Magnus in publica supplicatione derulit in magna mortalitate, quae Romam adeo vehementi pestilentia lanxavit, ut etiam corporali visu sagittae coelitus venire, & singulos quosque percute-re viderentur. In illa namque processione hac sacra Imago deportata, ecce tota aeris turbulencia cecebat Imagini, ac si ipsam Imaginem fugeret, & ejus praesentiam nullatenus ferre possit; sicut post Imaginem mira serenitas & aeris puritas remanebat. Tunc mirae voces in aere cantantium, & dicentium: *Regina caeli letare, alleluja. Quia quem meruisti portare, alleluja, resurrexisti, sicut dixit, alleluja*, juxta Imaginem sunt audita. Statim autem Beatus Gregorius, id, quod sequitur, adjunxit: *Ora pro nobis Deum, alleluja*. Post haec Beatus Gregorius vidit supra castellum Crescentii Angelum, qui revocabat in vaginam gladium crenatatum, ex quo intellexit, quod pestis illa cessasset, & sic factum est. Et ideo illud Castrum, Castrum S. Angeli deinceps est vocatum, & ipse Angelus cum gladio in vagina sculptus in lapide mirae magnitudinis ab illo tempore in antea mansit in cacumine dei Castri, inde tamen dejectus sinistrante fortuna per ichnum machinae, obsidionis tempore per Romanos.

Est etiam ad memoriam revocandum ad plenam fidem omnium praedictorum, quod in Castri cacumine praelibata capella erat pulcherrima ad honorem Archangeli Michaelis constructa per dominum recol. mem. Nicol. Papam III. de domo Ursinorum, & erat ibi indulgentia singularis. Item in praedicta capella erat depicta tota forma, & historia hujus processions, & litaniae, hujus Imaginis gloriosae, & sic scriptum in Imagine legabatur: *Haec est sacra Imago Ecclesiae Aracelitae*. Haec etiam eadem historia, & forma processions depicta est in quadam capella, quae dicitur studium S. Gregorii, in appendicio ecclesiae S. Joannis Lateranensis. Item tempore magnae mortalitatis, quae fuit anno Dom. 1388. incepit occupare Romam in principio mensis Junii, & per totum mensem Augusti in suo robore perduravit, fuit per Urbem haec sacra Imago cum aliis reliquiis honorifice, & devotissime deportata, & dum applicuit ad portam Sancti Petri, ille Angelus marmorosus existens in cacumine exhibendo reverentiam huic Imagini se pluries inclinavit. Quod miraculum ultra sexaginta digni fide, tactis sacrosanctis, se hoc vidisse oculis corporeis affirmabant, clamantes Imagini *misericordiam* vocibus elatis &c. Sic ad literam cum pluribus aliis in supradictis annalibus se quaedam tabula vetusta refecta anno MDLXII. totam rei seriem referente, & palam appensa ad rei confirmationem, & plenam omnium notitiam.

In perenne testimonium sic insignis miraculis ab ista prodigiosa Imagine patri, & in perpetuum memoriam, & gratiarum actionem tanti beneficii ab ipsa repetit, quotiescumque ad supplicationes publicas transeundum esse per moles Adriani, seu pontem S. Angeli, hujus miraculi locum, religiosi Aracelitani conventus semper, & soli cantant supradictam Antiphonam *Regina caeli letare &c.* ab Angelis ibi cantantem: ita citati annales tom. 3. fol. 261. n. 50. Alia ad rem, vide verb. Veneratio Sanctorum.

* Imagines Deum representantes sub ea forma, qua ipse hominibus apparuit, licite sunt: Benedictus XIV. tom. 1. constituit. 147. incip. Sollicitudini §. 12. & seq. Imagines Sanctissimam Trinitatem representantes sub certis formis licite sunt, nempe quae Deum Patrem continent in forma hominis senis, in cuius sinu Christus, & inter utrumque Spiritus Sanctus in forma columbae, vel imagines, in quibus seorsim Deus Pater in forma hominis senis, & seorsim Christus, sed propinqui ambo, & inter utrumque Spiritus Sanctus in forma columbae: idem ibi, §. 25. 32. & 36.

Pingi etiam potest Pater solus, seorsim ab aliis personis: Item Aeternus Filius, seorsim à Patre, & Spiritu Sancto, & etiam sub forma agni. Item Spiritus Sanctus, vel tamquam de caelo descendens die Pentecostes in figuram linguarum ignis, vel aliis in columbae specie seorsim pariter ab aliis Divinis Personis. Non tamen Spiritus Sanctus seorsim à duabus aliis Personis humana specie, seu viri, seu juvenis depingi potest: Idem ibi, §. 36.

Non licet Sanctissimam Trinitatem pingere in utero B. M. V. Idem §. 27. Nec sub figura hominis tricipitis: Idem ibi, §. 28. An autem sub figura trium hominum aequalium, & similium, disputatur: Idem §. 29. Imagines Divinam Personam representantes sub alia forma, quam quae ab eadem assumpta fuerit tolerari non debent: Idem ibi, §. 22.

Imagines aeterni Patris permixtae, & approbatae sunt, ut pingatur solus, tamquam ambulans, & loquens in paradiso auditus ab Adamo. Item, ut innixus mysticae scale visus est Jacob, seu ut miro modo conspiciendum se praebuit Moysi, seu ut Isaac tamquam Rex in solio sedens, seu ut Daniell, veluti senex albo vestimento amictus: Idem ibi, §. 36.

Imagines aeterni Filii permixtae, & approbatae sunt, ut pingatur solus, ut cum hominibus in diebus carnis suae conversatus est, atque etiam postquam à mortuis resurrexit non semel Apostolis, aliisque manifestus apparuit. Item sub humana forma cruci affixus, & mortuus: Item in forma agni: Idem ibi, §. 32. & 36.

Imagines Spiritus Sancti permixtae, & approbatae sunt, ut pingatur in forma columbae: Idem ibi, §. 16. ad 20. & §. 36. Item in figura linguarum ignis, ubi reprae-

sentatur mysterium Pentecostes: Idem ibi, §. 21. & 36. Imagines autem Spiritus Sancti sub humana juvenis forma damnantur, & reprobantur, ac removeri jubentur: Idem ibi, §. 10. 23. 33. 36. & 37.

Imagines insolite, & errori occasionem praebentes damnantur, & prohibentur: Idem ibi, §. 23. Imagines Servorum Dei, quorum cultus ab ecclesia non est approbatus publice distribui, & venerari non licet: Idem ibi, §. 41. Imagines Beatorum non ubique publicae venerationi exponi possunt: Idem constit. 108. incipit. Quoniam §. 10.

Imagines plurium Sanctorum apponi possunt super altari, in quo sacrum peragitur: Idem tom. 2. constituit. 17. incip. Accipimus.

Placet hic subnectere, quae de significatione symbolorum, quibus pingi solet imago S. Antonii Abbatis, profert eruditiss. Card. de Lambert. postea Benedictus XIV. Instit. Eccles. 47. à num. 5. ad 8. ubi sequentia adducit.

Effigies S. Antonii variis symbolis distingui solet; ignem, & porcum ad pedes jacentem habet; librum cum baculo dextra manu gerit, tintinnabulum sinistra: Thau quoque super vestem depingitur.

Quid haec significant, varia scriptores proderunt, inter quos P. Menochius nelle *fuore parte* 2. c. 25. Sarnellius in *epist. ecclesiast.* tom. 3. lit. 6. & fufius P. Theophilus Raynaudus tom. 8. in eo libro, qui inscribitur: *Symbola Sancti Antonii*.

Molanus l. 3. de *Imaginibus*, suam ad pedes Antonii jacentem hoc pacto interpretatur, quod illius patrocinio bruta sanitatem consequuntur: *Tabu salutis indicium esse ex sacris literis deprehendimus.* (Ezech. cap. 9. v. 6.) *Omnes autem super quem videritis Thau, ne occidatis.* Nos quidem S. Antonii patrocinium non infamiam pro his brutis, quae vite alenda, commodoque mortalium inserviunt; haec tamen per effigiem porci nobis declarari minime existimamus: nam si *ideorum* (ait P. Theophilus Raynaudus l. superius allato, §. 8. Tandem) appingitur S. Antonio porcus, quia sospitatem exorat brutis, cur potius ei appingitur porcus, quam asinus, aut equus, & paulo post: *Cur igitur sus, quam aliud quoddam brutum, B. Antonio appingatur, agere assignari potest valida ratio, si sistamus in praesidio, quod brutis à S. Antonio suppeditis; cujuscuque enim generis bruta Beato huic coelitus sospitatori commendari ex usu est, & eventus felix saepe vota secundat.*

Itaque sententiam suam his verbis exprimit: *Existimari vero non minus commode, symbolo illo porci jacentis ad Sancti Viri pedes insinuari triplex genus porcorum hominum ab eo domitorum, ac postratorum; ethnicos dico, & haereticos, ac voluptarios christianorum.* Aliqui (P. Ajala l. *Pictor Christianus*, l. 5. cap. 4. num. 7.) putaverunt mutem aegyptium porco similem ad pedes S. Antonii appingi consuevisse, ut Antonium aegyptium à reliquis omnibus secernerent. Hinc paulatim usus obtinuit, ut loco muris aegyptii imago suis sufficeretur. Haec praecise laudatus Pontifex.

Subdunt ad rem eruditissimi Bollandistae tom. 2. in *legenda* ipsius Sancti ad diem 17. Jan. quod appingi, seu sculpti etiam solet Nola, & ecclesia: haec cum prima domus, seu ecclesiae antonianae imago: illa quia à nuntis eleemosynariae domus, seu ecclesiae (id est ecclesiae S. Mariae, quae de eleemosyna dicebatur) Antonianis ad colligendam stipem concursantibus deferri in adventus sui signum cum reliquis soliti; cum baculo insuper ob baculum ad *Potentie*, vel signi *Thau* modum, & figuram à Sancto ipso cuidam Gastoni Provincia Viennensis in Gallia viro nobilissimo ac opulentissimo in magna arborem succrescentem in visione praestentum, ad ei indicandum, fore ab se, suisque sociis, atque alumnis in posterum miseris igneo morbo, sacroque igne perustus, ac mutilatus, atque egestate pressos omnimode sustentandos; seu, ut in *vita S. Pauli* dicitur, senex infirmos artus baculo regente sustentans: quae verba peregre proficiscentem indicant, aut certe ideo apposita, quod baculum Monachi gestare solent, ut tradidit Casianus l. 1. *Institution.* c. 9. & ita baculo innixus pingi solet S. Antonius. Sic ex laudatis Bollandistis l. c. Vide ibi, ubi multa scitu dignissima. Hinc facile colligitur, quare ei appingatur signum *Thau* & *ignis*, tum ex hic adductis,

tum ex allato textu *Ezechielis* c. 6. n. 4. & 6. tum ex traditis à nobis tom. 6. sub verb. Religiones Regulares. art. 3. n. 27. vide ibi.*

¶ Sollicitudo sacrarum imaginum praecipue spectat ad Episcopum. Atque hinc est, quod citra Episcopi consensum haud licet pingere, aut insculpere in ecclesia insolitam aliquam imaginem, vel eam exponere. Non licet transferre sacras imagines, ac reliquias, Episcopo invito, vel contradicente Rectore ecclesiae, vel Patrono: maxime si fuerint ecclesiae domatae ad conservandam memoriam donantis: Vide Rota in *Uratislaviensi Translationis imaginis* 17. Mart. 1738. cor. clar. memor. Calcagnin. 13.

IMMUNDITIA. Vide verb. Gula num. 27. & verb. Luxuria num. 36.

IMMUNITAS ECCLESIASTICA & Ecclesiarum.

ARTICULUS I.

Immunitas quoad ea, quae concernunt ejus naturam, divisionem, & jus, à quo provenit.

SUMMARIUM.

1. IMMUNITAS unde dicitur.
2. Immunitas ecclesiastica, & immunitas ecclesiarum quamvis passim pro eodem sumantur, tamen proprie, & rigorose non sunt idem.
3. Afferitur ratio.
4. Afferitur aprior Immunitatis definitio.
5. Talis definitio competit omni membro definiti.
6. Immunitas sic descripta recte dividitur in localem, realem, personalem, & quae sit qualibet.
7. Immunitas realis & personalis est de jure divino.
8. Immunitas localis ecclesiarum, seu privilegium Asylis non competit ecclesiis, aliisque piis locis de jure naturali, & divino, sed solum de jure humano, civili, & canonico.
9. Afferitur objectio.
10. In lege evangelica non habetur aliquod Jus positivum, sive scriptum, sive traditum decernens talem Immunitatem.
11. Contraria sententia est probabilis.
12. Satisfacti rationi sententia contraria.
13. Afferitur alia ratio corroborativa nostrae sententiae, & confirmativa contrariae.
14. Addit. ex aliena manu, ad num. 30.

IMMUNITAS derivatur à verbo *munus*, quod licet generatim captum tria significet, scilicet *donum*, *officium cum onere*, & *onus sine honore*, proprie tamen sumptum, solum tertium significatum importat, scilicet onus sine honore, seu onus, functionem, & obligationem alicui impositam, sive lege, aut more ei incumbentem: lege: *Munus proprie 214. ff. de verbor. significat.* ibi: *Munus proprie est quod necessario obimus lege, more, imperiove ejus, qui jubendi habet potestatem.* Unde qui in tali onere, aut obligatione liber, aut exemptus est, immunitate gaudere dicitur: *lib. Munus 18. & ibi gloss. verb. Onus, & verb. Officium, ff. de V. S. & leg. 1. ff. de jure Immunitatis.*

(Siquis suprapositam muneris descriptionem, vim ejus atque efficaciam agnoscere voluerit, perlegere non recuset 2. part. decisiones: postquam de Imperatorum Regumque potestate, ac etiam de eorum versus subditos obligationibus agitur; referre non omnium horum debitum circa illos, locumque eorum tenentes, tam belli quam tempore pacis. Si totum opus percurreris, non dubito per extensum omnia invenies. *Liter. A ex pag. 284. ad 290. praesertim in addit. novis. hispan. & lit. D pag. 96. & 112. inquirere cura.*)

Immunitas ecclesiastica, & immunitas ecclesiarum, 2. quamvis passim à plurimis pro eodem sumantur, & uni-

ca definitione describitur dicendo: Immunitas ecclesiastica est jus, seu exemptio, qua ecclesia, res, & persona ecclesiastica à publicis muneribus, & oneribus secularibus sunt libera: tamen proprie, & rigorose loquendo non sunt idem, sed quid diversum, ut recte advertunt Riccius in *praxi aurea part. 2. resolut. 53. num. 2. Engel l. 3. Decret. tit. 49. n. 2. Reiffenstuel ibid. num. 3.* & alii intelligentes pro Immunitate ecclesiarum solam immunitatem localem competentem ecclesiis, aliisque locis sacris, & pro immunitate ecclesiastica solam immunitatem personalem, & realem competentem personis ecclesiasticis, & rebus ad tales personas, vel ad ecclesias, seu loca sacra pertinentibus arg. c. Inter cunctas 1. *Extrav. de privil. inter comm. §. Incendiarios*; ubi distincte ponuntur, & nominantur violatores immunitatis ecclesiarum, & libertatis (id est immunitatis) ecclesiasticæ, ibi: *Ecclesiarum immunitatis, & libertatis ecclesiasticæ.*

Et hoc videtur rationi congruere, quia allata definitio Immunitatis communiter divisæ in localem, realem, & personalem non convenit omni definito, cum non possit aptari immunitati locali, ac juri Asyli, ut clare patet. Unde aptius definitur Immunitas dicendo, quod sit *Jus, quo ecclesie, & alia loca sacra, nec non persona ecclesiastica, ac res ipsarum libera, ac immune sunt à muneribus, & oneribus secularibus, atque ab actibus earum sanctiatis, & reverentia debite repugnantibus.* Hæc enim definitio competit omni membro definito, cum per *Jus, quo ecclesia, & alia loca sacra, nec non persona ecclesiastica, ac res ipsarum libera, ac immune sunt à muneribus, & oneribus secularibus,* denotatur, Immunitas realis, & personalis, & per *Jus, quo ab actibus earum sanctiatis, & reverentia debite repugnantibus,* denotatur Immunitas localis.

Immunitas sic descripta recte dividitur in localem, realem, & personalem. Immunitas localis est, quæ convenit ecclesiis aliisque locis piis, seu religiosis. Immunitas realis est, quæ competit rebus ecclesiasticis, id est bonis ad ecclesias, vel personas ecclesiasticas pertinentibus. Immunitas personalis est, quæ competit personis ecclesiasticis.

Immunitas realis, & personalis est de jure divino, ut colligitur ex pluribus sacra scriptura locis. Genes. enim 47. vers. 22. sub Pharaone Aegypti Rege habetur Sacerdotes, & Levitas exemptos fuisse à jurisdictione seculari, & à lege solventi tributa, & refertur in cap. Non minus 4. de Immunit. eccles. ubi idcirco graviter arguuntur plurimi christiani principes, quod deterioris conditionis factum sub eis Sacerdotum videatur, quam sub Pharaone, qui legis divine notitiam non habebat, ubi nota illa verba legis Divinae: & similiter colligitur ex cap. ultimo vers. 28. Leviticis, & ex cap. 3. numer. vers. 20. & cap. 45. vers. 14. & 15. ex primo Esdræ cap. 7. vers. 25. & cap. 17. Matthæi vers. 25. & 26. sed ne repetantur omnia jam scripta, vid. verb. Clericus art. 2. à n. 77. usque ad 85. inclusive, & verb. Bona ecclesiastica art. 2. à numer. 16. ubi late probatur conclusio per citatas scripturas, per varios sacros canones, & per Concilium Trident. sess. 25. cap. 10. de reform. ubi expresse contestatur, ecclesie & personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam. Et sic tenent ultra Doctores loc. cit. adductos, Bellet *Disquis. Cleric. part. 1. de exempt. Cleric. §. 1. num. 1. Diana part. 1. tract. 1. resolut. 1. Reiffenstuel lib. 3. decret. tit. 49. art. 9. num. 235. Tambur. de Jure Abbat. tom. 1. disp. 15. q. 10. Thom. Delbene tom. 1. de Immunit. eccles. part. 1. cap. 1. dub. 1. per tot. Fagnan. in cap. Non minus 4. de immunit. eccles. num. 4. Bonacina de centuriis disp. 1. quest. 16. sect. 2. punt. 1. & seq. & in 8. præcepti. decalog. disp. 10. quest. 2. part. 1. §. 1. num. 3. & late Card. Petra tom. 2. comment. ad constit. 1. Honorii III. à num. 3. & alii.*

Immunitas localis ecclesiarum; seu privilegium Asyli non competit ecclesiis, aliisque piis locis de jure naturali, & divino, sed solum de jure humano, tum civili, tum canonico, & quod hæc localis immunitas sit de jure civili, habetur ex tot. tit. cod. de his, qui ad ecclesias confugiunt, & audent. de mandatis Principum §. Neque autem homicidii, collat. 3. & quod sit de jure canonico,

habetur ex cap. Inter alia 6. de immunitate eocl. ibi: *Juxta sacram statuta canonum, & traditiones legum civilium, fugiens ad ecclesiam; & cap. Id constitutum 36. caus. 17. quest. 4. ex Concil. Aurelianens. l. cap. 3. ibi: Id constitutum observandum; quod ecclesiasticæ canones decreverunt, & lex Romana constituit, ut ab ecclesie atrii, vel domo Episcopi reos abstrahere omnino non liceat: & cap. Eos qui 6. dist. 87. ex Concilio Arausiano canon. 5. ibi: *Eos, qui ad ecclesiam confugiunt, tradi non oportere, sed loci sacri reverentia, & intercessione defendi; & cap. Sicut antiquitus 6. cap. Remo 9. cap. Si quis 20. cap. Definivit 35. caus. 17. question. 4.**

Nec valet objicere, quod Deus in lege veteri præter civitates refugii, de quibus numer. 35. Deuter. 19. Josue constituitur pro asylo templum Hierosolymitanum, ut videtur colligi ex cap. 21. Exodi 1. ibi: *Constituam tibi locum, in quo fugere debeas, videlicet altare templi; & quod etiam gentiles ex instinctu naturæ aliqua loca designaverint, quæ vocabantur Asyla. Non valet, inquam, quia, præterquam quod Abulensis cap. 25. Josue quest. 7. & alii plures negant templum Hierosolymitanum pro Asylo constitutum fuisse, dato etiam hoc, & non concessio, hujusmodi lex post mortem Christi, utpote ad cæremonialia pertinens, jam expiravit: Unde jus asyli jam non habetur ex veteris legis obligatione, sed solum ad quandam similitudinem, & secundum congruam juris naturalis æquitate (quam etiam Gentiles agnoverunt) de facto per jura humana, tum civilia, tum canonica ecclesiis, aliisque locis piis concessum fuit. Neque in nostra nova lege evangelica habetur aliquid jus positivum, sive scriptum, sive Apostolis traditum decernens talem immunitatem, siquidem Christus præter leges naturæ, & fidei nullas leges cæremoniales præscripsit, nisi circa ritus sacrificii, & sacramentorum, reliqua ecclesie statuenda relinquens. Sic tenent Suar. tom. 1. de Religion. l. 3. de locis sacris cap. 8. num. 9. 10. 11. & l. 3. Covarr. l. 2. resolut. c. 20. num. 1. 2. & 3. Layman l. 4. tract. 9. c. 3. quest. 1. num. 1. Pirhing. h. 3. decretal. tit. 49. sect. 2. num. 15. Engel ibid. n. 7. Zoësius ibid. cap. 2. num. 1. Reiffenstuel ibid. num. 22. & l. 2. tit. 2. num. 131. & in Theologia moral. tract. 12. dist. 2. n. 2. cum communiori aliorum contra Delbene de immunitate, & jurisdictione. eccles. cap. 16. dub. & num. 2. ubi illud jus naturale esse asserit, & contra Fagn. in appendice de immunitate c. 2. n. 9. Decium, & Tuscum existimantes esse juris divini positivi.*

Quam sententiam scilicet jus asyli etiam in novo Testamento esse juris divini naturalis, vel positivi non improbabilem censet etiam Reiffenstuel l. 3. Decretal. tit. 49. num. 26. Eo vel maxime quod videtur ei favere sacra scriptura locis citatis sub num. 9. Tridentinum sess. 25. cap. de reform. per verba adducta sub num. 7. & cap. Quamquam 4. de censibus in 6. & quia apud omnes fere gentes vigeat tale jus Asyli, ut videre esse apud ipsum Reiffenstuel l. c. n. 26. Covarr. l. c. c. 20. Gonzalez in c. Inter alia 6. de immunit. eccles. num. 9. & alios.

Tamen ad id de scriptura, & gentilibus fuit jam responsum sub num. 9. & ad Tridentinum, & textum canonicum communiter respondetur, non loqui de immunitate locali, seu asyli, sed solum de immunitate reali, & personali, id est de immunitate personarum ecclesiasticarum, & rerum ad eos, vel ad ecclesias pertinentium, quam esse de jure divino etiam nos docuimus sub num. 7. Et si quis contendat Tridentinum loco citato loqui etiam de immunitate locali, seu de jure asyli: Respondetur, quod ut jura jurius concordentur juxta cap. Cum expediat, de elect. in 6. quantum ad immunitatem asyli, plus non vult Concilium, quam ipsam ad imitationem veteris legis, atque instinctu divino per canonicas sanctiones constitutam esse. Tum quia, si jura asyli essent de jure divino naturali, nunquam potuissent, nec adhuc possent mutari, quia jura naturalia semper firma, & immutabilia permanent, ut dicitur §. Sed naturalia 11. insitit. de jure naturali, gent. & civil.

(In majorem præcedentem ex num. 14. comprobationem retrorsum inspicitur liter. D. pag. 79. vers. Præter ea:)

Nec potuissent ab aliquo etiam Summo Pontifice mi-

nui, immutari, aut dispensari, cum inferior in lege superioris nullam habeat potestatem: c. Cum inferior 16. de major. & obed. & Clem. Ne Romani, de elect. Neque potuissent consuetudine abrogari, aut eis in aliquo derogari, cum consuetudo contra jus divinum nihil valeat: cap. Cum tanto 11. de consuet. Atqui jus asyli per Pontificem fuit immutatum, quoad certa crimina, & personas restrictum, ac limitatum, ut patet ex cap. Inter alia 6. de immunit. eccles. & ex constit. Gregorii XIV. & Benedicti XIII. art. seq. adducendis, adeoque &c. (Convenit lex 67. tit. 4. p. 1. 2. tit. 27. p. 2. 1. tit. 24. p. 4.)

Quæstio, num immunitas personalis sit de jure divino, an potius humano, magni momenti est, & sursum, atque deorsum versata, non modo à Jurisconsultis, sed etiam à Theologis. Nam alii contendunt, Clericos privilegium fori uti de jure divino. Ita Auctor num. 7. & qui ab ipso allegantur. E diverso alii in contrarium nituntur id esse de jure humano: Innocent. in cap. 2. de major. & obed. Alciati. in c. Quam non ab homine, de judic. & alii apud Peregrin. de immunit. eccles. in princ. quos ex Theologis sequitur Medina in tit. de resit. q. 15.

Mihi haud displicet opinio Covarrub. 3. prædicto. 31. qui distinguit, ut si agatur de rebus spiritualibus, Clerici immunes sint de jure divino à jurisdictione Laicorum; si autem de rebus temporalibus, de jure humano sint exempti ex legibus potissimum Constantini Magni in cod. de Episcop. & Cleric.

Prima pars probatur; quia Summus Pontifex de jure divino ex institutione Christi positus est ad regimen ecclesie, quum ei dedit potestatem pascendi oves suas, volendi, & ligandi; deditque claves regni cælestis, & voluit, ut aliquando conversos confirmaret fratres suos. Ex quibus Pontifex factus est in spiritualibus caput totius orbis christiani; & præsertim Clericorum, qui militantis ecclesie partes sunt magis connexæ. Hi igitur ex eodem jure divino facti in spiritualibus sunt subditi Summi Pontificis, à quo regi debent; nam ex quo jure est potestas capitis, est eodem est subiectio subditorum.

Patet altera pars, tum ex dictis, tum etiam quia ipsi Clerici in sacris constituti à Summo Pontifice sæpe Judici laico traduntur, ut eosdem puniat, c. In audientia, c. Contingit, c. Perpendimus, de sent. excomm. c. Ex parte, de privil. c. Ad aboleandum, de heret. Ergo exemptio fori Clericorum in temporalibus juris est humani: Idque quia Summus Pontifex non solum immutare haud potest jus divinum, sed nec eam causam licet justam dispensare: bene vero declarare & interpretari.

Nec negotium facessere debet Can. Si Imperator, dist. 99. ubi Joannes Pontifex ait: Clerici ex divina institutione à Summo Pontifice sunt judicandi, quod etiam

habetur in cap. Quamquam, de censib. in sexto; nam ut recte observavit Covarr. ubi supra, jus divinum ibi usurpatur pro canonico, quod novum haud est.

Hinc facile est judicare, quid dicendum sit de Justiniano, qui in leg. Si quis in conscribendo, cod. de Pañis statuit, Sacerdotem, qui se non usurum promiserit exceptione fori, promissis stare teneri, ita ut possit deinceps coram laico conveniri, ea reddita ratione, quod possit quisque juri pro se introducto renuntiare. Non ignoro in hoc textu explicando se varie torquere DD.; eorumque plurimos Justinianum reprehendere, quod legem tulerit statui ecclesiastico contrariam: At distinguendum videtur potestatem inter, & justitiam. Porro potuit Justinianus id statuere, cum, ut mox dictum est, fori privilegium, quod habent Clerici in temporalibus, sit juris humani, sed non juste fecit, quia ratio qua Justinianus utitur minime convincit; nam regula, quæ ait posse quemque juri suo renuntiare, intelligitur, cum jus est personale, quod sane non accidit in Clericis, quorum exemptio in gratiam totius collegii ecclesiastici est inducta. Qua de ratione recte in c. Si diligenti, de for. competent. corrigitur lex Justiniani, & statuitur, ut Clericus ne juramento quidem possit foro suo renuntiare.

Inficias haud eo sæpe Justiniano libuisse pervertere christianorum sanctiones, ut inquit Procopius in Historia Arcana pag. 123. At sæpius non tam perverit, quam præscripsit: Nam quidquid in canonibus ecclesiasticis erat insigne, id voluit auctoritate sua stabilitum, declaratum, ac penis vindicatum. Factum hinc est, ut Episcopi Orientales ex Justiniani legibus esse sibi concinnaverint regulas, quas Nomocanonem nuncupantur. Nomocanonem enim scripsit Joannes Scholasticus, qui à Justiniano successus est Eutybio Constantinop. Patriarcha in exilium pulso. Alium postmodum composuit Photius Patriarcha eadem Constantinop., quem Theodorus Balsamon notis suis illustravit.

ARTICULUS II.

Quoad ea, quæ specialiter concernunt Immunitatem localem, seu Jus Asyli, loca, delicta, & personas, quibus competit, vel non.

SUMMARIUM.

1. Jus Asyli quid sit.

2. Immunitas, seu Jus Asyli gaudent omnes ecclesie auctoritate Episcopii erectæ.

3. Quæ ecclesia, monasteria, & hospitalia gaudeant immunitate: an confugiens ad SS. Eucharistia Sacra.

Hinc non immerito super intelligentiam à quo jure Clericorum immunitas in temporalibus præcipue ortum ducat, necessarium ostendere videtur, monasteria, ecclesias, aut Clericos redditus, elemosynas, aliæque jura regalia habentes, si super eis intercesserit deceptio, in tribunalibus secularibus litigare tenent; quippe in hujusmodi causarum prosecutione nullam exceptionem merentur: (1) imò illis privantur, si jurisdictionem declinaverint (2).

(1) L. 57. tit. 6. p. 1. Temporales son llamados los pleytos que han los omes unos con otros, sobre razon de heredades, ó de dineros, ó de bestias, ó de posturas, ó de avenencias, ó de cambios, ó de otras cosas semejantes destas, quier sea mueble, ó raiz; & quando demanda un Clerigo contra otro sobre alguna destas cosas, debese juzgar ante sus Perlados, & non ante los legos, fueras ende si el Rey, ó otro rico Ome diese tierra de heredamiento à Iglesia, ó algun Clerigo que toviese del. Cá si tal pleyto como éste le moviese alguno sobre ella, quier fuese Clerigo, ó lego, ante aquel debe responder que gela dió, ó de quien la tiene; & non ante otro: m. l. 6. tit. 1. lib. 4. Mandamos que qualquier Iglesias, y Monesterios, Clerigos, y Capellanes nuestros, que por nuestros privilegios tienen de Nos, ó de los Reyes, onde Nos venimos, algunas mercedes, ó limosnas de dineros, ó de otros derechos, sean tenudos de lo mandar, y emplazar à los legos ante los Jueces seglares, y no ante los ecclesiasticos. Remit. 14. ejusd. En los pleytos, y causas que intentären los Obispos, Clerigos, y Religiosos, y

Ordnes Militares sobre qualesquier Villas, vasallos, y demas cosas que tocan à la preeminencia real, ora sean actores, ó reos, el conocimiento toca à las Justicias, y Jueces seglares. Cedula del Emperador Carlos V. en las Ordenanzas de Valladolid, lib. 1. tit. 1. L. 17. tit. 7. lib. 1. Ind. Mandamos que qualesquier Iglesias, Monasterios, Prelados, Prebendados, Clerigos, Curas, y Doctrineros, que por merced nuestra, ó de los Señores Reyes nuestros antecessores, tienen algunas mercedes, ó limosnas de dineros, ó especies, ó de otros derechos, sean obligados à pedir, y demandar ante los Virreyes, y Gobernadores que exercen nuestra jurisdiccion Real.

(2) L. 4. tit. 4. lib. 1. Qualesquier vuestro vasallo, que de Nos oviere tierra, ó lanzas, y declinare jurisdiccion de nuestro Juez seglar, diciendo ser Clerigo de corona, y no ser tenudo de responder ante Nos, ó ante nuestro Juez seglar por la dicha razon, que por ese mismo hecho haya perdido, y sea privado de la tierra, y lanzas, que de Nos tienen, ó tuvieren, y no las haya ni pueda haber, ni le sean libradas dende en adelante.

cramentum ea fruatur: quid in capellis, domibus ecclesie proximi, & quando palatium Episcopi, ad num. 83.

84 Designantur persone, quibus vel non suffragatur immunitas, ad num. 156.

IMMUNITAS localis, seu Jus asyli est Jus ecclesie, & sacris aliis quibusdam locis competens confugientibus ad ea malefactoribus securitatem prestans, ad hoc quod inde violenter extrahi non possint, nec in vita, nec in membris puniri valeant; est in re communis; arg. Inter alia 6. de Immun. eccl. Immunitate, seu Jus asyli gaudent omnes ecclesie auctoritate Episcopi erecte, cap. Inter alia 6. de Immun. eccl. & concordat. cap. Immunitate 10. eod. cap. Eos, qui 6. dist. 87. cap. Sicut antiquitus 6. cap. Reum 9. cap. Si quis 20. c. Definivit 35. & cap. Id constitutum 36. ead. 17. q. 4. Etsi nondum sint consecrate, textu expresso in cap. Ecclesie 9. de immunitate eccl. ibi: Ecclesie, in qua divina mysteria celebrantur, licet adhuc non existerit consecrata, nullo modo privilegium immunitatis admittit. Immo etiam in iis divina adhuc non sunt celebrata; arg. cit. Ecclesia: ubi pro ratione immunitatis subjungitur: Quia obsequiis divinis dedicata, nullis est temerariis usibus profananda: Unde, cum pro ratione ibi Pontifex non alleget celebrationem divini Officii jam factam, sed qua obsequiis, ac officiis divinis est dedicata, seu deputata, debent ecclesie gaudere immunitate, etiam in iis divina adhuc non sunt celebrata; cum ex eo solo, quod ecclesie auctoritate Episcopi ad usus sacros sint deputata, jam existunt loca sacra, ac religiosa, ita ut ad usus profanos redire, & applicari amplius nequeant, textu claro in cap. Ad hoc 4. de religiosis domibus, & sic tenent Abbas in cit. cap. Ecclesia num. 5. Fagnan. ibid. n. 8. Hostiens. ibid. verb. Celebrantur: Barbos. lib. 2. Jur. eccl. univers. cap. 3. num. 59. Covarrub. lib. 2. variat. resolut. cap. 20. n. 4. & alii communiter. Quin immunitate gaudent etiam ecclesie interdite; Fagnan. in cit. cap. Ecclesie 9. de immunit. eccl. n. 11. Abbas ibid. num. 8. Ventriglia tom. 2. annotat. 23. §. 1. de immunit. eccl. num. 5. Perhing. lib. 3. decretal. tit. 49. num. 3. Reiffenstuel ibid. n. 29. Engel ibid. n. 11. Layman lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 2. Silvester verb. Immunitas 1. q. 1. dist. 2. Barb. l. c. num. 60. cum plurimis aliis ibi citatis. Immunitate gaudent etiam ecclesie pollute; Fagnan. l. c. n. 13. Ventriglia l. c. n. 5. Barbosa l. c. n. 61. cum Suarez, Guarb. Bonacin. Bobadill, & Fagandez ibi citatis, & alii num. antec. addult. Item gaudent immunitate ecclesie dirute, dummodo non sint dirute auctoritate Episcopi, & subsit spes reedificationis, arg. cap. Quae semel 4. caus. 19. q. 4. leg. Rde sacra 73. ff. de contrahend. emptio. Fagnan. l. c. num. 14. Engel l. c. num. 10. Ventriglia l. c. num. 4. Barbosa l. c. n. 62. cum plurimis ibi citatis, & alii passim. (Vide verb. Ecclesia.)

Immunitate gaudet cimiterium, quamquam ab ecclesia separatum, dummodo auctoritate Episcopi sit designatum, cap. Cum ecclesia 5. de immunit. eccl. n. 11. Fagnan. l. c. num. 21. Barbosa l. c. num. 63. cum plurimis ibi citatis, & alii communiter. Item immunitate gaudent porticus ecclesie; cap. Si quis contumax 20. caus. 17. q. 4. & declaravit Sacra Congreg. Immunit. in Spoletana 7. Februarii 1630. in Camerinen. 3. Aprilis 1635. in Asculana 20. Decembris 1657. & in Cortonen. 9. Septembris 1670. apud Pignat. tom. 1. consult. 171. sub n. 15. in fine. Item immunitate gaudet atrium cit. cap. Si quis contumax 20. & cap. Id constitutum 36. caus. 17. q. 4. Item immunitate gaudet tetum, cum supra illud existens dicatur esse intra tectum ecclesie; Suarez tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 9. num. 8. vers. Sed quid si quis supra tectum: Peregrin. de immunitat. num. 282. Diana part. 6. tract. 1. resolut. 73. Sperell. decis. 61. n. 9. Ventriglia loc. cit. num. 9. Barbosa loc. cit. num. 69. & alii passim. Item immunitate gaudet campanile ecclesie, quamvis ab ipsa disjunctum sit, dummodo non ultra triginta passus distet, uti bis declaravit Sacra Congreg. apud Deben. de immunit. d. 9. sect. 6. Diana part. 4. tract. 1. resolut. 108. Joan. Anton. Navar. tit. de immu-

nitat. eccl. n. 16. Barbosa loc. cit. n. 66. Reiffenstuel loc. cit. n. 29. La Croix lib. 4. sub n. 1392. & alii. Item sacristia, si ecclesia, vel cimiterio cohaereat, & etiam non cohaerens, si altare habeat: Secus autem si non cohaereat ecclesie, vel cimiterio, nec altare habeat ad celebrandum; Sperell. decis. 61. a principio, & sec. 62. n. 19. La Croix loc. cit. cum variis aliis, Ventriglia loc. cit. num. 12. ubi dicit hoc certum esse. Item immunitate gaudent scabrae exteriores ecclesie; Suarez tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 11. n. 9. Barbosa loc. cit. n. 66. cum pluribus aliis; Farinac. tract. de immunit. n. 180. ubi refert Sacra Congreg. ita censuisse.

Item immunitate gaudent fores, seu portae ecclesie; saltem manu tactae, & apprehensae, cum clausae reperiuntur; Suarez l. c. lib. 3. cap. 9. n. 8. Navar. in Manual. cap. 25. n. 17. ad finem, La Croix lib. 4. sub n. 1392. Barbosa l. c. n. 65. Pignatell. tom. 6. consult. 4. n. 81. & seq. ubi ad propositum affert declarationes, ac decreta Sacrae Congreg. praesentis tenoris: «Innixus stipti portae ecclesie gaudet immunitate in Amerina 28. Maji 1628. »Item evadens de manibus birruariorum, & adhaerens »valvis ecclesie, gaudet immunitate in Firmana 13. Julii 1657. Item tenens anulum valvarum ecclesie gaudet immunitate 7. Sept. 1638. Item qui in actu carcerationis cohaeret valvis ecclesie unico pede, & unica »manu, gaudet immunitate in Brundusina 4. Sept. 1640. »Item captus a Birruariis in janua conventus, seu monasterii gaudet immunitate in Rossanen. 18. Februarii 1653. »Sic etiam gaudet immunitate, qui tangit aliam partem exteriorum ecclesie, v. g. muros; Barbosa loc. cit. n. 65. Riccius in praxi tom. 3. resolut. 560. n. 8. Navarrus in sum. Bulla de immunitate n. 16. Bonacina dist. 3. in decalog. 3. puncti. 4. num. 5. Pignatell. loc. cit. n. 82. affert sequentia decreta Sacrae Congreg. Adhaerens muro ecclesie gaudet immunitate in Amerina 18. Febr. 1632. & in Camerin. 13. Julii 1638. Item qui elapsus de manibus satellitum confugit ad ecclesiam, & apprehendit parietem, aut seras valvarum, gaudet immunitate, Sacra Congreg. Episc. 31. Martii 1604. & in 18. Julii 1614. & 20. Dec. 1616. refert Pignatell. loc. cit. num. 107.

Privilegium immunitatis non restringitur ad portas, aut parietes, vel atrium ecclesie tantum, sed per quadraginta passus in majori ecclesia, per triginta in capellis, vel minoribus ecclesiis, extenditur circumquaque, ut est definitum in cap. Sicut antiquitus 6. caus. 17. q. 4. ibi: «Sicut antiquitus a sanctis Patribus statutum est, »statuimus, ut major ecclesia per circuitum quadraginta »passus habeat, capellae vero, vel minores ecclesie triginta, qui autem confinia earum infringere tentaverint, aut personam hominis, vel bona ejus inde subtraxerint... excommunicatur, » & concordat cap. Definivit 35. ead. caus. 27. & quest. 4. & utrobique notant, & tenent Gloss. Archidiaconus, & Doctores omnes, ut testatur, & sequitur Fagnan. in cit. cap. Ecclesia 9. de immunitat. eccl. n. 16. Covarrub. lib. 2. variat. resolut. cap. 20. num. 5. Hostiens. in cap. Inter alia 6. de immunit. eccl. num. 2. & ibi etiam Joann. Andr. num. 7. Abbas in ult. notab. Felin. num. 2. Mariana, Soccin. num. 10. Silvester verb. Immunitas 3. num. 1. Barbosa in cit. cap. Sicut antiquitus 6. caus. 17. quest. 4. Reiffenstuel lib. 3. decretal. tit. 49. num. 31. Turrescemat, Praepositus, & alii. Dicta autem immunitate triginta passuum pro ecclesiis minoribus non gaudent ecclesie, seu capellae, quae sunt intra ambitum murorum castellorum, ut expresse habetur in cap. Quisquis 21. caus. 17. quest. 1. ibi: Cappellae quae sunt intra ambitum murorum castellorum, non ponuntur in hac triginta passuum observatione. Et ratio est, quia si dicte ecclesie, seu capellae gauderent immunitate etiam ad triginta passus ob loci angustiam, immunitas fore totum castrum quandoque absorberet, ut observat Glossa 1. in cit. cap. Sicut antiquitus: & docent Fagnan. loc. cit. n. 17. Covarrub. loc. cit. num. 5. Abbas in cit. cap. Ecclesia num. 10. Reiffenstuel loc. cit. num. 32. Silvester loc. cit. & alii communiter.

Immo non desunt, qui dicant, Jus asyli in spatio quadraginta, vel triginta passuum pro omnibus ecclesiis

sublatum esse consuetudine contraria, sicut non amplius observari posse, sicut debere; arg. cap. Cum tanto 11. de consuetud. Ita Igneus in leg. 1. in princip. num. 58. ff. ad Syllaniam. quem refert Remig. de immunitat. eccl. fol. 52. in 6. ampliation. Clarus in §. fin. quest. 30. vers. Hinc est: ubi dicit non esse ab hac communi consuetudine recedendum, praeterquam in domibus ecclesie cohaerentibus, loc. cit. num. 5. Haunold. de just. & Jur. tom. 6. num. 152. & ex Zerola in praxi Episcop. part. 1. verb. Immunitas §. 12. Testatur Engel lib. 3. descr. cit. 49. d. num. 10. hodie immunitatem non attendi ultra fines cimiteriorum; & Card. de Luca lib. 14. part. 4. Miscellan. disc. 12. num 17. dicit, quod immunitas talis spatii prope ecclesias possessam ab aula, & Pignatell. tom. 1. consult. 435. ubi, postquam ad questum: An carceratus infra quadraginta passuum circa cathedralem gaudere debeat immunitate, sicutque restituendus? respondit affirmative, si adsit consuetudo, & ita declarasse Sacram Congregationem Immunitatis in una Interamnen. pro Petro Paulo Mangonio 17. Julii 1663. subjungitur: «Verum eadem Sacra Congreg. die 27. Januarii 1667. cognito per plurimos casus, quod gravia »infrat publice quieti Narniensis civitatis praedicta »plateam ecclesie cathedralis ex quadam veteri consue- »tudine haberi pro loco immuni, cuius securitate, qua »maxime abutuntur criminosis, contumaces, & debitor- »maximo non sine justitiae detrimento, censuit, si »Sanctissimo D. N. placuerit, plateam eandem imposte- »rum pro loco immuni non habendam, & existimandam, »ac ad ipsam confugientes immunitate excludi. non gau- »dere, injungendumque Episcopo, ut triduo a publica »nitione hujus decreti, etiam ut talem teneri curet, & »mandet, quibuscumque non obstantibus. Et facta rela- »tione sub die 21. Febr. 1665. Sanctissimus annuit, & »vita exequi jussit. » Et idem Pignatell. tom. 6. consult. 25. num. 13. cum multis ibi citatis concludit hos passus gaudere, si adsit in loco legitima consuetudo, juxta supra allatum decret. In Interamnenis; secus vero non. Unde hos passus non gaudere declaravit eadem Sacra Congreg. Immunit. sub anno 1634. in Spoletana relata a Donato de aylo resolut. 43. num. 1. & 2. Vide ibi Pignatell. per totum cons. 25. ubi multa erudit.

Afferunt aliud consimile decretum, ut sequitur. Licet die 9. Februarii 1694. lib. 1. decret. Vallem. p. 104. declaratum sit, atrium circumductum muris ante ecclesiam Beatae Mariae Montis Virginis extensum per quadraginta passus gaudere immunitate, attem, mandante Sanctissimo, Ordinarius declaret eidem loco non suffragari amplius immunitatem ecclesiasticam, & reputari tamquam non immunem; & insuper ne possit allegari ignorantia, & ad perpetuum documentum apponit in loco opportuno lapidem cum praefata declaratione: Sacra Congreg. Immunit. in nullius montis Virginis 11. Decembris 1697. lib. 2. decret. Vallem. pag. 125.

Immunitate gaudent monasteria, & conventus; cap. Quisquis 21. caus. 17. q. 4. Leg. Omnia privilegia cod. de Episcopi & Clerici. constituit Gregorius XIV. incip. Cum alias monasteriis, domibus regularibus, locisque sacris, aut religiosis: Fagnan. l. c. n. 28. Barbosa l. c. num. 72. & communis aliorum. Eadem immunitate gaudent omnia loca intra eorum septa, scilicet claustra, cellae, ac habitacula, immo etiam eorumdem monasteriorum horti, aere, domus familiarium, stabula animalium, officinae, cunctaque alia loca, quae intra monasteriorum septa continentur: arg. l. Pateant Cod. de his, qui ad ecclesiam confugiunt: ibi: «Nec sola altaria, & oratorium, &c. sed quid- »quid fuerit interjacentes, sive in cellulis, sive in domibus, »hortulis, balneis, aereis, aut portibus confugas inter- »rioris templi vice teneatur, » & c. Id constitutum 36. caus. 17. q. 4. & cit. constituit Gregorius XIV. incip. Cum alias, Barbos. l. c. n. 72. Lezana verb. Immunitas n. 3. Portell. in dub. regul. verb. Immunitas, & communis aliorum.

Item immunitate gaudent villae, sive grangiae, quas etiam recreationis gratia habent Regulares; sic habetur ex privilegio concesso ab Eugenio IV. Cisterciensibus, & consequenter omnibus aliis cum illis communicantibus, quod privilegium ex compendio Ordinis Cisterciensis re-

fert Emman. Rodericus tom. 2. q. Regular. q. 75. art. 2. his verbis: «Concessit, quod grangiae monasteriorum Cisterciensium sicut ecclesiae atria pravorum hominum incursum, & violentia liberata, & quiete debeat esse, ita »ut nemo in eis hominem capere, spoliare aut ruinam »exercere praesumat, in virtute Spiritus Sancti inhibendo »statuit. » Sic ex hoc privilegio late probat Card. de Lugo in respons. Moral. lib. 3. dub. 15. per totum, ubi n. 3. refert, quod cum quidam Episcopus Sacram Congregationem Romae super hoc consulisset, respondit: Si capella illa erat in grangia, observandum privilegium. Villalobos in Summa tom. 2. tract. 39. difficul. 5. n. 6; Peregrinus de immunitate c. 4. n. 58. La Croix lib. 4. sub n. 1392. Diana part. 6. tract. 1. resolut. 6. vers. Et tantum in fine; & alii contra Barb. loc. cit. n. 76. Gambacut. lib. 1. c. 4. n. 7. Trullenchi. lib. 1. cap. 11. dub. 1. n. 6. Lezanam tom. 3. verb. Immunitas n. 3. Qui tamen Auctores ideo negarunt talem immunitatem, quia, ut dicit Card. de Lugo loc. cit. n. 2. vel non viderunt supra allatum privilegium Eugenii IV., vel illius memores non fuerunt.

Omnia loca religiosa, ut seminaria, hospitalia, nosocomia, orphanotrophia, & hujusmodi auctoritate Episcopi erecta gaudent immunitate asyli; Communis arg. c. Ad haec 4. & c. Ne nimia 9. de religiosis domibus; l. Sanctimus cod. de sacros. ecclesiis, l. Omnia cod. de Episc. & Cleric. Item immunitate gaudet domus collegii de Propaganda Fide; Sacra Congreg. Immunit. die 8. Mar. 1650. Confugiens ad SS. Eucharistiae sacramentum, quod portatur ad aegrotum, vel inde reportatur, aut in processione circumfertur, gaudet immunitate; Barb. l. c. n. 69. Laym. l. c. n. 4. Silvester verb. Immunitas n. 1. Reiff. l. c. n. 48. & communis aliorum, & Pignatell. l. c. cons. 4. n. 89. ubi affert declarationem Sacrae Congreg. editam in Meliteni 28. Maji 1628. tenoris sequentis: Carceratus sequens, & manu tenens fimbriam vestis Sacerdotis redeuntis ad ecclesiam cum SS. Eucharistiae Sacramento gaudet immunitate. Item gaudet immunitate etiam solum se associet processionem Sanctissimi, aut illius, qui Sanctissimum comitantur; Barbosa loc. cit. n. 69. Diana part. 1. tract. 1. resolut. 28. Reiff. l. c. n. 49. & alii passim, & Pign. l. c. n. 90. ubi affert declarationem Sacrae Congreg. ut sequitur: Associates processionem Sanctissimi Sacramenti gaudet immunitate 30. Sept. 1636. Qui confugit ad crucem existentem in via extra civitatem, gaudet immunitate ecclesiae, si adsit consuetudo, Sacra Congreg. Immunit. in Melitiana 1. Dec. 1638. lib. 3. decr. Paul. p. 81.

Capellae, seu oratoria in palatiis, aut domibus privatorum non gaudent immunitate, Pignatell. tom. 1. consult. 93. ubi testatur de communi, & citat plurimos Doctores tom. 6. cons. 4. n. 103. ubi affert decretum, ut sequitur: Capellae privatorum palatiorum non gaudent immunitate. Sacra Congreg. Episcopi & Regul. in Marsicana 17. Novemb. 1617. & Sacra Congreg. Immunit. in Perusina 9. Decembris 1631. La Croix l. c. sub n. 1392. Barbosa l. c. 2. Juris eccl. univers. c. 3. num. 68. & in summa Apost. decret. verb. Immunitas num. 5. referens utrobique citatum decretum, & cit. cap. 3. citans plurimos alios Doctores, & Riccius in Synopsi verb. Capella, ubi refert sequens decretum: Capellae vero privati palatii regulariter non gaudent immunit. Sacra Congreg. Immunit. in Pulertina 4. Junii 1663. lib. decret. Rocci p. 489. Fagnanus vero lib. 3. decret. in cap. Ecclesiae 9. de immunit. num. 23. cum pluribus ibi citatis, Reiffenstuel l. c. n. 43. & alii volunt alia oratoria etiam in domibus privatorum, dummodo auctoritate Episcopi sint erecta, gaudere immunitate, quia ut dicunt ipsi, cum talia oratoria sint vera loca religiosa, nec amplius ad usus profanos applicari possint; c. Ad haec, 4. de religiosis domibus, ac insuper jurisdictioni, & visitationi Episcopi sint subjecta, non minus debent gaudere immunitate, ac oratoria publica Episcopi auctoritate erecta. Ad citata autem decreta omnes contrarii Doctores respondent esse intelligenda, & respectiva intelligenda de oratoriis, & capellis sine auctoritate Episcopi erectis, uti plura habentur in domibus privatorum, quae cum religiosa non sint, & ad nutum domini domus iterum ad usus profanos possint applicari, & converti, quamvis de licentia Papae, aut Episcopi in eis su-

per altare portatili celebrata fuerint missæ, non debent gaudere immunitate asyli, ut tenent communiter Doctores, & censuit Sacra Congr. in relatis decretis.

32 Ecclesia campestris gaudet immunitate Sac. Congr. Immunit. in *Brundisina* 18. Decemb. 1694. lib. 1. decret. *Vallem. p. 162.* Ecclesia enim quælibet, dummodo sit fundata auctoritate Episcopi, gaudet immunitate ecclesiastica, etiamsi non fuerit benedicta, arg. cit. Ecclesiæ

34 de immunit. ecclesiarum, & expresse Sac. Congr. Immunit. in *Anconitana* 19. Junii 1635. lib. 2. decret. *Paul. pag. 226.* Immo locus, in quo constructur ecclesia, jam injecto solemniter primo lapide, est immunis. Sac. Congr. Immunit. in *Jansen. 5. Octobris* 1688. lib. decret.

35 *Martelli p. 358.* Capellæ, sive ecclesiæ in arcibus sive castellis existentes gaudent immunitate. Sac. Congr. Immunit. sub anno 1563. apud Pignat. tom. 6. consulti. 4. n. 121. Ecclesia sita in fortalitio S. Urbani gaudet immunitate eccles. Sac. Congr. Immunit. in *Bononiens. 16. Julii* 1675. lib. 1. decret. *Altovi. p. 1122.*

37 Capella carcerum vel contigua carceribus non gaudet immunitate, Sac. Congr. Immunit. in *Tudertina* 12. Junii 1663. apud Pignatell. tom. 1. cont. 471. Capella contigua, ut dicitur, *Al corpo di guardia*, erecta, ut milites ibi degentes audiant missam maxime diebus festiuis, permittitur declarari non esse locum immunem. Sac. Congr. Immunit. in *una nullius Orbetelli* 16. Febr. 1683. lib. 3. decret.

38 *Altovi. p. 142.* Capella ruralis, vulgo dicta *una Maeria*, posita in publica via, nisi probetur fuisse constructam auctoritate Ordinarii, non gaudet immunitate; Sac. Congr. Immunit. in *Spoletana* 2. Martii 1642. lib. 3. decret. *Paul. p. 171.* Mandante Sanctissimo clauduntur capellæ civitatis, etiam cum muro, attento quod confugitii committunt continuis abusibus, & scandala, & onera missarum transferantur in alias ecclesias arbitrio Episcopi: Sac. Congr. Immunit. in *Lycien. 19. Maji* 1679. lib. 1. decret.

39 *Altovi. p. 1249.* Quando Capella existens in palatio gubernatoris est perpetua, & invariabilis, confugiens ad eam gaudet immunitate; secus si sit variabilis, & non perpetua. Sac. Congr. Immunit. in *Tudertina* 7. Maji 1658. lib. decret. *Rocci pag. 89.* Capella vero privati palatii, ut jam dictum est sub num. 30. regulariter non gaudet immunitate. Ead. Sac. Congr. in eadem *Tudertina* 4. Junii 1663. libro decret. *Rocci pag. 489.*

41 Domus confraternitatis gaudere debet privilegio immunitatis ecclesiasticæ. Sac. Congr. Immunit. in *una civitate* *Castelli* 23. Julii 1652. l. 4. dec. *Paul. p. 189.* Locata vero laicis non gaudet. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Reatina* 14. Decembris 1628. lib. 1. dec. *Paul. pag. 115.* Sic immunitate non gaudet apotheca laicis locatæ habentem ingressum ex platea, vel via publica. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Narniensi* 17. Februarii 1662. Nec gaudet immunitate domus contigua ecclesiæ, que propter januam vie publicæ correspondentem, habet etiam egressum in choro ejusdem ecclesiæ, maxime si sit laicorum. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *una Pennensi* 28. Febr. 1662.

45 Gaudet tamen immunitate domus ecclesiæ quæ inservit pro habitatione sacriæ, etsi ab ecclesia disjuncta. Eadem Sac. Congr. Immunit. 29. Februar. 1662. apud Pignatell. l. 1. cons. 456. Item immunitate gaudet domus annexa, & addicta ecclesiæ. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Portuen. 30. Mar.* 1666. lib. decret. *Borrom. p. 151. & p. 754.*

47 Domus à suffraganeo Veliterno conducta gaudet immunitate, præterquam in parte reservata locatori. Teneatur tamen suffraganeus impetiri licentiam pro transitu super parte ab eodem conducta pro faciendis executionibus à curia seculari contra locatorem. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Veliterna* 24. Jan. 1696. lib. 2. dec. *Vallem. p. 5.*

48 Domus contigua ecclesiæ gaudet immunitate. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Firmana* 8. Jan. 1665. lib. 1. decret. *Vallem. p. 165.* Sic domus contigua ecclesiæ, ad quam habet aditum, ad viam publicam vero medio cortilli, gaudet immunitate. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Theatina* 31. Julii 1674. lib. 1. decret. *Altovi. pag. 976.* Domus contigua ecclesiæ, à qua nullus patet aditus, ad ecclesiam, & laicis locata, non gaudet immunitate. Eadem Sac. Congr. Immunit. in *Marsicem.* 16. Junii 1682. lib. 3. decret. *Al. pag. 51. & in Pisaurum.* 16. Julii 1686. ibi

pag. 584. Domus Commendæ Religionis Hierosolymitane habens in inferiori parte carbonam, habentem communicationem internam media parte domus superioris cum ecclesia, non gaudet immunitate, & claudatur aditus ad ecclesiam. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Perusina* 27. Maji 1687. lib. decret. *Martelli p. 107.* Domus posita super sacristiam fraternitatis laicis locata non gaudet immunitate eccles. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Reatina* 4. Decemb. 1628. l. 1. dec. *Paul. p. 115.* Domus in qua habitat Vicarius Sanctissimæ Inquisitionis, non gaudet immunitate ecclesiastica, nisi habeat ecclesiam coherentem, vel adsit consuetudo. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Marianen. 6. Nov.* 1634. lib. 2. dec. *Paul. p. 206.* Mansiones conventus olim suppressi annexæ ecclesiæ, nunc commendatæ, laicis locatæ præter servitium ecclesiæ, non sunt immunes. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Recinaten.* 28. Januarii 1682. l. 2. dec. *Al. p. 2147.* Non constat, quod sit locus immunis domus empta à Regularibus ad effectum ampliandi suam ecclesiam, & conventum, in qua Episcopus unica vice celebravit sacrum, sed deinde locata fuit laicis, nec ullum habet ingressum ad ecclesiam. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Perusiana* 29. Febr. 1684. lib. 3. dec. *Al. pag. 287.* Non constat esse immunem capannam spectantem ad Regulares, positam in distantia quinqueaginta septem palmarum ab ecclesia, & septem à claustrò Regularium, quæ est locata laico, & est intra ambitum civitatis. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Albanen.* 11. Jul. 1684. lib. 3. decret. *Altovi. pag. 340.*

Domus canonicas gaudet immunitate. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Florentina* 8. Maji 1694. l. 1. dec. *Val. pag. 120.* Non est permittendum rædes canonicas in canonica existente locari per Canonicos laicis ad inhabitandum. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Lauret.* 16. Apr. 1652. lib. 2. dec. *Paulucci p. 180.* Immo Episcopus hanc locationem prohibet sub penis sibi benevisis. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Perusina* 14. Maji 1652. l. 2. dec. *Paul. p. 184. & 23. Sept.* 1692. lib. dec. *Grim. p. 200.* Et quidem sub penis pecuniariis, arbitrio Episcopi: Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Mantuanæ* 16. Aug. 1704. leg. 3. dec. *Vallem. p. 618.* Laudatur Archiepiscopus Florentinus ob reintegrationem ecclesie mediis censuris procuratam in causa perquisitionis factæ auctoritate laicali in domibus canonicis. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Florentina* 8. Maji 1694. leg. 1. dec. *Vallem. p. 226.* Ob perquisitionem, & extractionem rerum & cubiculis cathedralis, Clericus absolvatur arbitrio Episcopi, impositis gravibus poenitentis salutaribus. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Perusina* 25. Sept. 1694. leg. 1. dec. *Valleman. p. 147.*

Domus Præposituræ contigua ecclesiæ gaudet immunitate, etiam respectu bonorum ibidem existentium, quamvis pars ejusdem domus sit laico locata. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Castris Durantis, sive in Urbanien.* 19. Aug. 1630. lib. 2. dec. *Paul. pag. 54.* Domus parochialis gaudet immunitate. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Comen.* 25. Febr. 1698. lib. 2. dec. *Vallem. p. 138.* Etiamsi ab ecclesia distans, modo non sit locata, & inhabitata à laicis. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Cesennien.* 17. Novembr. 1654. l. 5. dec. *Paul. pag. 24.* Attamen distans ab ecclesia parochiali spatio circiter tertie partis milliarii, non gaudet immunitate. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *civitate Castellii* 4. Jul. 1673. lib. 1. decret. *Altovi. pag. 817.* Domus, que habitatur à parochio, sed non est parochialis, id est de pertinentia parochiæ, non gaudet immunitate. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Alaur.* 5. Maji 1699. l. 2. dec. *Vallem. pag. 217.* Domus deo deo juris ecclesiæ parochialis, ab ea tamen, & à domo parochi distans circa triginta passus, quæ solum inservit pro usu, & servitio parochi, non gaudet immunitate. Ead. Sac. Congr. Immunit. in *Ferret.* 27. Jul. 1682. l. 3. dec. *Altovi. pag. 209.*

Palatia Cardinalium gaudent immunitate asyli. *Comunitis*, ut testantur, & tenent Mans. in *trad. de Cardinal. cap. 8. n. 18. privit.* Julius Clarus in *S. final. p. 3. vers.* Item adde: Fagnan. in *cit. cap. Ecclesiæ. q. de immunit. num. 32.* Barbosa l. c. n. 71. Reiffenstuel l. c. n. 53. & alii passim. Solum tamen gaudent tali privilegio extra urbem Romanam, ut testantur Card. Tuscius in *verb. Ecclesia concl. 9. num. 12.* Reiffenstuel loc. cit. num. 53.

Pax Jordan. *lucubration. lib. 2. tit. 3. n. 206.* ubi testatur, delinquentes ad Cardinalium domibus ad carceres, & supplicia fuisse abstractos, idque, ne ob asylum nimiam frequentiam delinquentes passim manerent impuniti cum gravi boni publici iactura, Fagnan. loc. cit. num. 33. et 34. ubi refert id declarasse Julium III. non solum pro domibus Baronum, Comitum, Ducum, & Principum Oratorum, sed etiam pro domibus Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, & S. R. E. Cardinali. Et tale privilegium immunitatis à palatii Cardinalium absterulerunt pro urbe etiam Greg. XIII. & Sixtus V. ut refert Felix Potestas l. 1. part. 2. num. 614. La Croix lib. 4. sub n. 1392. & alii passim, & à palatii Legatorum Principum esse ablatum hoc privilegium satis declaravit Innocent. XI. ut testatur La Croix loc. cit. Immo nec jam ibi gaudet tali privilegio propter abusus statuas, aut palatia Regum & Principum, ut testatur Delbene n. 17. 10. La Croix loc. cit. & alii. Palatium Nunciaturæ Neapolis gaudet immunitate. Sac. Congr. Immunit. 3. Maji 1686. l. 3. decret. *Altovi. pag. 562.* & sic pariformiter omnia palatia aliarum Nunciaturarum.

Palatium Episcopi gaudet immunitate asyli; cap. Id constitutum 266. *caus. 17. q. 4.*, ibi: id constitutum, ut à domo Episcopi reos abstractere omnino non liceat. Etiamsi ab ecclesia cathedrali abesse ultra quadraginta passus, Abbas in *cit. c. Ecclesiæ. q. de immunit. n. 9.* Fagnan. *ibid. num. 29.* Barbosa loco citato. Navar. in *Manuali cap. 25. num. 18.* La Croix loco citato, & alii communiter cum Reiffenstuel loco citato num. 52. Et quamvis in palatio nullum esset oratorium, quia citato cap. Id constitutum: loquitur absolute de domo Episcopi, nulla facta mentione de oratorio. Navar. Tusch. Suarez, Delbene cum La Croix loco citato, & hæc magis elucescunt ex sequentibus decretis. Palatium mensæ episcopalis etiam situm extra diocesim gaudet immunitate, ac si esset in propria diocesi pro tempore, quo Episcopus eum inhabitat. Sacra Congregatio Immunit. in *Castren.* 8. Julii 1670. lib. 1. dec. *Al. pag. 453.* Palatium Episcopi conductum pro sua habitatione episcopali gaudet immunitate: Eadem Sac. Congr. Immunit. in *Aquitana.* 19. Novembr. 1666. lib. 1. dec. *Altovi. pag. 59.* Palatium tamen conductum ab Episcopo in propria diocesi pro propria habitatione, in quo etiam habitat dominus ejusdem palatii, gaudet immunitate tantum quoad portionem Episcopi, & suæ familiæ. Eadem Sacra Congreg. Immunit. in *Sagonen.* 8. Julii 1692. lib. decret. *Grim. pag. 157.* Palatia ruralia Episcoporum in locis eorum diocesis, & ab ipsis interpolate, seu recreationis gratia habitata, & quæ ab eorum affectibus continuo habitantur, non gaudent immunitate eccles. Eadem Sac. Congr. Immunit. in *una civitate pleris* 2. Sept. 1681. lib. 2. decret. *Al. p. 2248.* Confugiens ad palatium Episcopi gaudere debet immunitate. Eadem Sac. Congr. Immunit. in *Foresempromeni.* 4. Junii 1630. lib. 3. dec. *Paulucci pag. 44.*

Quare carceratus in palatio Episcopi, est ibidem restituendus. Eadem Sac. Congr. Immunit. in *Mycien.* 19. Jan. 1638. lib. 3. decret. *Pauluc. pag. 52.* Sicut etiam sacerdos captus in palatio Episcopi, gaudet immunitate, & ibidem est restituendus. Eadem Sac. Congr. Immunit. in *Fanen.* 17. Sept. 1658. lib. dec. *Rocci pag. 120.* At quando Episcopus ordinat incarcerationem in proprio palatio, reus non gaudet immunitate eccles. Eadem Sac. Congr. Immunit. in *Siginia* 31. Julii 1703. lib. 3. decret. *Vallem. pag. 206.* Sicut in casu quo Baroncellus, & Birruarii curie episcopalis, qui tentantur absque ordine incarcerationem sacerdotis inventi cum fide vinitoria præ manibus, & ob resistentiam eis factam, ipsam taliter percusserant, ut secundo die obierit, unde vocati ab Episcopo ad proprium palatium pro reddenda ratione hujus facti, ibidem de mandato Episcopi carcerantur, & deinde poena trirerium puniuntur, non gaudent immunitate: Eadem Sac. Congr. Immunit. in *Insolen.* 8. Aug. 1673. l. 1. dec. *Al. p. 828.*

Reus allegans Clericatum Baroncello, ductus liber ad Vicarium generalem, cui in palatio Episcopi dixit, se non esse Clericum, sed velle uti immunitate palatii episcopalis, quam Vicarius admittit, gaudet immunitate, & Baroncellus non incidit; Eadem Sac. Congr. Immunit. in *Sutrina* 17. Nov. 1699. lib. 2. decret. *Vallem. pag. 257.*

Executio etiam pro debitis civilibus fieri non potest in palatio Episcopi, nec in domibus, seu mansionibus Clericorum in Regno Neapolitano, attenta consuetudine in dicto regno ad eorum favorem; Eadem Sac. Congr. Immunit. in *Conversanens.* 12. Novembr. 1647. lib. 4. decret. *Paul. pag. 30.* Concedenda est facultas exequendi in palatio Episcopi, quatenus à creditoribus Episcopi petatur; Eadem Sac. Congr. Immunit. in *Anaginta* 20. Junii 1651. *ibi pag. 148.* Magistratus secularis absolvitur ad cautelam eo quod demoliri fecerat murum edificatum ante palatium Episcopi, quod prætenditur spectare ad mensam episcopalem; Eadem Sac. Congr. Immunit. in *Tropien.* 6. Febr. 1694. l. 1. dec. *Vallem. pag. 104.*

Ad hoc ut clarius percipiatur delicta, quibus contempat, vel non Jus asyli, dantur hic ad literam duæ pontificiæ constitutiones, quæ debent ad hoc esse vera norma, & regula.

GREGORIUS PAPA XIV.

Ad perpetuum rei memoriam.

Cum aliis nonnulli prædecessores nostri, & præsertim 84 fel. rec. Sixtus Papa V. nec non Pius etiam V. sancto zelo ducti diversas facultates, & indulta extrahendi etiam in casibus quibusdam à jure non permittis, ex ecclesiis criminosis, & delinquentes, compluribus secularibus principibus, eorumque curiis, & magistratibus sub variis modis, & formis concesserint, prout in illis plenus continetur.

1. »Experientia postmodum docuit, tum ob diversitatem, & differentiam hujusmodi indultorum, tum quia plerique eorumdem principum ministri, ex hoc ipso diversimode, etiam latius, quam par erat, & ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisque abuti cœperunt, sicut non esse modiciorum in aliquibus locis, libertatis, & immunitatis ecclesiasticæ perturbacionem, & confusionem; alibi vero, ne ipsos quidem laicos indultis hujusmodi uti voluisse, aut potuisse, quod populis inveterata erga ecclesiæ reverentia devotissimis, & assuetis scandalis potius, quam quietis occasione præberent. Illud etiam absurdum sæpenumero secutum est, ut infimæ interdum conditionis laici, non modo juris, sed etiam literarum penitus ignari, & impediti, dum quasi potestates, & ministri curiæ secularis in aliquo castro, aut oppidulo jurisdictionem exercebant, facultatemque, & indultorum hujusmodi limites longe excederint, neque suo arbitrio in sensus minus rectos, & ab intentione concedentis omnino alienos detorsissent, & illorum prætextu, quicquid sibi in mentem venit, attentate præsumpsissent, in grave jurisdictionis, & immunitatis ecclesiasticæ præjudicium, locorum, & personarum divino veniendi dicatarum contemptum, ipsius divinæ majestatis offensam, & scandalum plurimorum. Quare pro commisso nobis à Domino pastoralis officii munere, prædictis absurdis, & scandalis obviare, ac differentias hujusmodi ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac præsertim interpretandi occasionem dilucida declaratione submovere, abusus tollere, & ne ecclesiastica jura plane contulerentur, & negligantur, opportune providere decrevimus, prout etiam dictus Sixtus V. prædecessor noster, iisdem de causis motus statuere decreverat, licet morte præventus hoc adimplere nequiverit, ita tamen, ut quando præsens temporum calamitas, & nimia, que jam invaluit, perversorum hominum malitia exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda eorum facinorosa, ultra id, quod præca illa majorum nostrorum disciplina, & vetus sacrorum canonum norma præscripserat, in quibusdam casibus, congrua moderatione adhibita, permittamus.

2. »Hac itaque nostra perpetuo valitura constitutione, omnia, & quæcumque privilegia, indulta, & gratias, tam per dictum Sixtum & Pium V. quam alios quoscumque nostros prædecessores, aut nosmetipsos, secundem apostolicum, ejusque Legatos, super abutendos, vel extrahendis ab ecclesiis, monasteriis, sacellis, domibus regularibus, locisque sacris, aut religiosis, aliisque in casibus à jure permittis, hominibus certorum tunc

expressorum, vel non expressorum criminum reis, aut fraudulentis deceptoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex causis urgentissimis, ac necessariis, & aequipollentibus casibus in Jure expressis, atque ex paritate, identitate, aut majoritate rationis extensis perpetuo, vel ad nondum elapsum tempus quomodolibet concessa, etiam iteratis, ac multiplicatis vicibus approbata, & innovata, ac usu recepta, literasque apostolicas sub plumbo, aut in forma Brevis, seu aliis quomodocumque desuper confectas, quorum tenores hic haberi vo' unum pro expressis, ac ad verbum insertis, sublata penitus omni differentia, ita ad unam tantum formam reducimus, & moderamus.

3. Ut laicis ad ecclesias, locaque sacra, & religiosa prædicta confugiuntibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, publicasque stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis ecclesiis, earumque cæmeteriis committere non verentur, aut qui proditorie proximum suum occiderint, aut assassini, vel hæresis, aut lesæ majestatis in personam ipsiusmet principis rei, immunitas ecclesiastica non suffragetur. Sed universis, & singulis Venerabilibus Fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque ecclesiarum, & monasteriorum Prælatibus, tam secularibus, quam cujusvis ordinis Regularibus, districtè præcipiendum mandamus, & præcipimus, ut laicos in casibus prædictis delinquentes ad eorum ecclesias, monasteria, domos, & alia loca supradicta sacra, seu religiosa respective confugiuntibus, & in eis se recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumque aliquid iudicio suo commississe videantur, quando à curia seculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, ministris, & officialibus curiæ secularis absque irregularitatis nota, aut alicujus censuræ ecclesiasticæ incursæ tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat.

4. Ne autem curiæ secularis prædictæ ministris facultate illos per se, & propria auctoritate extrahendi, & abducendi, sibi olim, ut præfertur, attributa, & per presentes revocata abutantur: Volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, ut curia secularis, cujusque judicis, & officiales ab ecclesiis, monasteriis, locisque sacris prædictis laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus supradictis, sine expressa licentia Episcopi, vel ejus officialis, & cum intervenitu personæ ecclesiasticæ, ab eo auctoritatem habentis (ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores, etiam si alii Ordinarii sint, aut nullius diocesis, aut conservatores, ab hac Sede specialiter, vel generaliter deputati prædictam licentiam dandi facultas pertineat: occurrente autem casu in loco exempto, & nullius diocesis, tunc ad Episcopum viciniorum devolvatur hæc cognitio, & non ad alios) capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu quo ipse Episcopus, & dictæ personæ ecclesiasticæ requisitæ, illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut capturas, & carcerationi intervenire, & assistere recusant, tuncque reverentiæ ecclesiæ, & locis sacris debita memores, prædictos delinquentes, minori quoad id fieri poterit, scandalo, & tumultu extrahere curent.

5. Quodque delinquentes laici prædicti, postquam, sicut refertur, ab ecclesiis locisque extracti, & capti fuerint ad carceres, curiæ ecclesiasticæ reponi, & inibi sub iuramento, & firmo carcere, ac opportuna custodia, data illis, nisi opus fuerit, per curiam secularem, detineri debeant, nec inde extrahi, curiæque seculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognitio prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi vere crimina superius expressa commiserint, tuncque demum de mandato Episcopi per judicem ecclesiasticum curiæ seculari, quacumque appellatione seposita, consignentur.

6. De crimine vero hæresis cognitio ad forum ecclesiasticum tota pertinet, neque in eo curia secularis se quoquomodo intromittat.

7. Sicuti etiam prohibemus, ne contra ecclesiasticas

personas, seculares, aut cujusvis ordinis, vel militiae etiam S. Joannis hierosolymitani regulares, quoquomodo etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum, aut concessionum, quæ omnia ad terminos juris præsentis reducimus, procedant, aut se intromittant, aliasve ab ecclesiis, monasteriis, domibus, locisque sacris, aut religiosis, etiam in casibus in hac constitutione expressis extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad forum ecclesiasticum pertinentibus, aliis quam de jure, & per privilegia eisdem ordinibus, ac militiis concessa permittit, quomodolibet præsumant.

8. Quod si quis quacumque dignitate, & auctoritate præditus, præmissorum, aut alio quovis prætextu quidquam præter, aut contra hujus nostræ constitutionis tenorem attentare præsumperit, declaramus eum ipso facto censuras, & penas eisdem declaratas, quæ contra libertatis, juris, immunitatis ecclesiasticæ violatores per sacros canones, & conciliorum generalium, nostrorumque prædecessorum constitutiones sunt promulgatae.

9. Sicut per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegates, etiam causarum palatii apostolici Auditores, S. R. E. Card. sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, in quavis causa, & instantia judicari, & definiti debere, nec non irritum decernimus, & inane, si secus super his quodcumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

10. Non obstantibus præmissis tam Sixti, & Pii V., quam aliorum quorumcumque prædecessorum nostrorum litteris apostolicis, privilegiis, indulgiis, & facultatibus quibusvis personis, etiam imperiali, regia, ducali, aut alia quavis dignitate, & auctoritate fulgentibus, aut respublicis, dominis, regnis, provinciis, civitatibus, terris, & locis, eorumque curiis, communitatibus, universitatibus, Collegiis, aut Præsidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, Locumtenentibus, Vicariis, Potestatibus, aliiisque Magistratibus, Officialibus, Ministris, aut Consiliariis; ex prædictis, vel aliis etiam gravioribus, & urgentibus causis tam illorum intuitu, & contemplatione, sive ad eorum preces, & instantiam, quam etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine, ac per modum statuti, & legis perpetuæ, etiam in vim contractus, de fratrurn nostrorum consilio, & quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusve præservativis, restitutivis, mentis attestativis, derogatoriis derogatoriis, aliisque validissimis, & efficacissimis, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiam si inibi caveatur expresse, quod illis, nisi sub certis modis, & formis, & nisi de expresso eorum consensu, ad quorum favorem concessæ fuerint, derogari possit, & aliter factæ derogationes nullius sint roboris, vel momenti, & aliis quomodolibet concessis, etiam sæpius approbatis, & innovatis. Quæ omnia, & singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo adversentur, aut plures, quam superius expressos casus, continent, auctoritate, & termino præmissis, omnino, ac perpetuo tollimus, & abrogamus, ac ad terminos presentis constitutionis quoad superius descripta dumtaxat reducimus, & nolumus cuiquam de cetero suffragari, & quilibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali, quæ presentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus earum quomodolibet valeat impediri. Ut autem presentes litteræ &c.

Datum Romæ in monte Quirinali ante Incarnationis Dominice milles. quingent. nonages. primo. Nono kalendas Junii Pontificatus nostri anno primo.

Constitutio, qua san. mem. Gregorii Papæ XIV. litteræ apostolicæ certa expientes delicta, & casus, in quibus inquisiti laici ecclesiastica immunitate gaudere non debent, confirmantur, declarantur, & ad alia etiam delicta, & casus extenduntur, ac ampliuntur. Nec non curiis ecclesiasticis forma in eorumdem inquisitorum extractione à locis immunitibus observanda præscribitur, cum aliis ordinationibus, & clausulis, ac derogationibus opportunis.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex quo divina disponente clementia ad supremum universi christiani populi regimen assumpti fuimus, considerantes debitum, quo obstringemur, ecclesiarum, & sacrorum locorum immunitatem saram teçiam inviolatamque, ubique custodiendi, inter graviores suscepti apostolici ministerii curas merito recenseri, diu multumque rationes, ac media nobiscum expendere non omisimus, quibus ipsa immunitas in pristinum venerationis, & reverentiæ locum restitui posset, ac in omnibus orbis catholici regionibus ita observaretur, quemadmodum prisca majorum nostrorum disciplina, & vetus canonicarum sanctionum norma præscripsit.

1. Dum hæc sollicito animo revolveremus, in oculis primum incurrit celebris illa constitutio à fel. rec. Gregorio Papa XIV. prædecessore nostro edita, quæ incipit: Cum aliis, quæ quidem constitutio idem Gregorius prædecessor pro pastoralis zelo suo hunc ipsum in scopum intendens, facultates, & indulgias à quibusdam Romanis Pontificibus, ac præsertim à S. Pio V. & Sixto etiam V. prædecessoribus eidem nostris, tunc suis, concessa aliquibus Principibus, eorumque Officialibus, & Magistratibus extrahendi, ac abducendi ab ecclesiis, & aliisque locis immunitibus certorum criminum reos, & delinquentes, reformavit, moderatius fuit. Similiter autem delictorum frequentia, unde publica tranquillitas maxime perturbatur, occurrere volens, ac impedire, quantum licebat, ne aliqua graviora à pravis hominibus patrentur sub certa impunitatis spe, quam ex confugio ad loca immunitatis sibi parabant, nonnulla expressit, & explicavit crimina, & casus, in quibus laicos delinquentes ecclesiastica immunitate nequaquam gaudere voluit, & decrevit, ac insuper Judices constituit, quin occurrentibus casibus, an delictum esset nec ne eadem Gregoriana constitutio exceptum, agnoscere, & declarare deberent, certamque demum formam in extractione prædictorum delinquentium à locis immunitibus observandam stabilivit, & inviolabiliter ab omnibus perpetuo observari mandavit; quemadmodum in prædicta constitutione anno Incarnationis Dominicæ 1591. nono kal. Junii promulgata ulterius continetur.

2. Quoniam vero post editam hujusmodi constitutionem ob varias Doctorum eam interpretantium sententias, & variam idem curiarum ecclesiasticarum in illius executione praxim multiples contentiones super vero, rectoque ejus sensu inter ecclesiasticam, & seculariam tribunalia exorta fuerunt, quamplures Romani Pontifices, ac præsertim pia mem. Clemens IX. Clemens X. Clemens XI. prædecessores similiter nostri de præfatis contentionibus dilucida casuum exceptorum explicatione subnovendis non semel, sicut accepimus, deliberarunt, facilioremque insuper eos probandi, & declarandi methodum, ut ejusdem Gregorii prædecessoris mens plenius executioni demandaretur, curiis ecclesiasticis præscribere cogitabant, sed ab aliis distracti curiis, ac interim morte præventi, destinata perferre nequiverunt. Hinc licet, quod nos omnino expedire arbitramur, ut ejusmodi controversiis suis aliquando imponatur, eorumdem prædecessorum pio, atque salubri proposito in hærentes motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostri, deque apostolicæ potestatis plenitudine hæc nostra perpetuo valitura constitutio, in primis providam memorati Gregorii prædecessoris constitutionem cum omnibus, & singulis in ea contentis, atque dispositis amplissime confirmamus, approbamus, & innovamus, & quatenus opus sit, criminum in illa exceptorum reis, & delinquentibus immunitatem ecclesiasticam suffragari nequaquam debere, iterum, ac de novo decernimus, & declaramus. Præterea non absque gravissimi nostri dolore animadvertentes ob actam, atque in dies invalentem perversorum hominum malitiam sæpe ac sæpius nonnulla alia gravia crimina perpetrari, quæ non minus, quam illa in Gregoriana constitutione, ut præfertur, excepta, & publicam quietem perturbant,

FERRAR. BIBLIOTHEC. TOM. V.

proinde ad delinquentium audaciam, ac ejusmodi delictorum frequentiam, quantum fieri poterit, coercendam, pro apostolici muneris nostri debito, quæ inferius explicabuntur, statuenda censuimus.

5. Cum itaque prædicta Gregoriana constitutio cautum sit, ut publicis latronibus, viarumque grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, aut viatores ex insidiis aggrediuntur, immunitas ecclesiastica minime suffragetur; non levis autem inter Doctores emerit controversia, an quis ex unico actu publicus latro, & grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur. Nos ejusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantum grassationem in via publica, ac vicinali admissam sufficere ad hoc, ut quis publicus latro, & grassator dici valeat dummodo tamen grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus, & declaramus.

4. Insuper ab ecclesiastica immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, & pro exclusis, atque repulsis haberi volumus, nedum eos, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in ecclesiis, earumque cæmeteriis committere audent: quemadmodum in Gregoriana constitutione sancitum est: verum etiam eos, qui stantes in ecclesia, vel cæmeterio interficiunt stantes extra ecclesiam, vel cæmeterium, aut ipsis membrum mutilant. Nec non eos, qui stantes extra ecclesiam, vel cæmeterium occidunt stantes intra ecclesiam, vel cæmeterium, aut iis membrum mutilant, ac eos tandem, qui confugiuntibus vim inferunt, atque ipsos ab ecclesiis aliove loco immuni violententer extrahunt, & abducunt. Declarantes in quatuor præmissis casibus ejusmodi reos, non illius tantum ecclesie, quam violantur, sed cujuscumque alterius ecclesie immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere.

5. Ad hæc in crimine assassini non modo mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana constitutione aperte expiuntur, sed etiam mandantes, qui certum præmium, aut mercedem, sive in pecunia, sive in aliis rebus reddiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum haberet effectum, dummodo assassinium re ipsa patrum fuerit, ab ecclesiastica immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuo haberi volumus, & mandamus.

6. Excludimus pariter, repellimus, atque privamus ejusdem immunitatis privilegio interficientes proximum suum animo præmeditato, ac deliberato: Falsificantes litteras apostolicas: Ministros montis pietatis, vel alterius publici telonii, aut banci pro depositis Principis, primiarumque personarum destinati, furtum, aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit: Conflantes, adulterantes, vel detondentes quascumque monetas, aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotiescumque in loco, aut provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, & commercium, vel ipsas monetas confatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, & erogare præsumentes, ut fraudis conscii, atque participes censeri possint: Illos demum, qui sub nomine curiæ sese introducunt in alias domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque reipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earumdem ædium, vel etiam extranei, quem ibi sorte reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur.

7. Ceterum cum diuturna experientia compertum fuerit, curias ecclesiasticas in casibus, qui hæctenus evenerunt, difficulter probare, & consequenter declarare potuisse delictum, pro quo quis ad ecclesiam confugerat, fuisse comprehensum in numero exceptorum propter variam earumdem curiarum praxim, & varias pariter opiniones Doctorum, qui antedicti Gregorii prædecessoris mentem quoad normam ab ipso præscriptam recipiendi probationes, & procedendi ad declarationem criminum exceptorum, interpretari voluerunt, statuiimus, præcipimus, & mandamus, nullam in hoc de cetero haberi rationem quocumque interpretationis ejusdem Gregorianæ constitutionis, quæ à quocumque Doctore prodierit; neque praxim quibuslibet curiis, aut tribunalibus inventæ, immo nec quarcumque declarationumque ab